

Ala sunt terra, alati Cherubini.

que nationes perfundant. Et quasi citò tonanti Prophetæ obtemperarent, subdit: Ab alis terræ laudes audivimus, gloriam justis. Ad instar alarum esse ait ejusmodi prædicatores, quibus Mariæ gloria, unâ cum Christianæ doctrinæ luce, per totum desertur & spaciatur Orbem. Ubi observo, alam seu alas quandoque in Sacra Scriptura usurpari pro Cherubinis. Dan. 9. 27. Et erit in templo abominatio desolationis. Hebraicè pro templo est, ad alam, vel super alam: notatque Pagninus, per alam à nonnullis intelligi Cherubim. Non malè, ut videas, viros Jesuitas & Cherubinos esse alatos, & alas terræ, quibus Marianum firmamentum, & signum illud magnum perlustrat ac pervolat Mundum univèrsam, pro salute gentium univèrsarum.

§. XVII.

Victoria Debora viris adaptatur Jesuitis.

1927 Huc revoco victoriam Debora, Barachi, & Jahelis uxoris Haber Cinæi, quam reportarunt de Jabin Rege in Afor, & ejus Duce Sisara Jud. 4. & ipsa suo celebrat Cantico Debora c. 5. Dista recole superius à n. 1740. usque ad 1751. ut benè historiam teneas, utriusque exercitus conflictum, triumphum, & exactas nominum, de quibus ibi mentio fit & quæ prophetica sunt, etymologias. Debora prophetissa erat populi Israelitici, & judex, qui cum imperio illum gubernabat. Perinde sonat Hebraicè, atque apis, Syriacè dicitur. Uxor Lapidot appellatur, id est, femina fulgorum, lampadum, fulgens, & corusca. Sapientia, prophetia, consilio, & auctoritate suâ Barachum ad salutem populo procurandam, arma capiendâ, & cum Sisara confingendum, excitavit, direxit, adjovit. Barac autem etymon est fulgur, coruscatio, splendor. Filii ejusdem Debora à nonnullis existimatur, in quibus S. Ambrosius lib. de viduis, Barachum Filium Debora sæpè appellat. Instructæ copiæ ad Deborah, & Barachum aggregatæ, principes fuerunt spontanei, Sapientes, Doctores, Scribæ, ut probavimus n. 1742. Jabin Rex Chanaan, qui Israelitas opprimebat, duraque & longâ divexabat servitute, Rex in Afor dicitur: id est, Sapientia in feno, sive sapientia carnis inimica Deo; ut habes n. 1740. Sisara illius Dux, seu militiæ magister, interpretatur equus videns, sive equum videns, vel infidelis, inobediens. Exercitus ejus ex Chanaanæis constabat, captivis, depressis, humili hominum genere, & equis. Committitur à Barac pugna cum hoste numerosissimo, potentissimo, ferocissimoque, illum in fugam vertit, pavore fractum, & confertum, non absque divino prodigio, & auxiliariis copiis stellarum & Angelorum. Interim Sisara fugæ consulens ad tentorium Jabel uxoris Haber Cinæi pervenit; à qua altissime soporatus interficitur clavo, quem in ejus defixit tempora valentissime. Significat autem Jahelis nomen meditationem, & actionem: Haber verò congregationem, conventum, Societatem. Tam uxor, quam maritus scholis incumbant, divinarum rerum periti, librorum, legumque peramantes, ut statui à n. 1745.

1928 Quorsum hæc? Vel me tacente, in-

stitutum nostrum depradicant, ingeniosè æquè ac solidè, ne dicam propheticè. Et verò quis ignorat, beatissimam Dei Matrem ac Virginem appositissime Deborah comparari? Apem Debora significat. Nonne Maria apud est mundissima, à qua Christus uti mellitus favus elaboratus? Sic multi ex Patribus loquuntur relati infra ad v. 27. Nonne ipsa femina fulgorum, lampadum, corusca, & fulgens, à qua omnes illuminantur? Multa id probantia habes supra à n. 1012. & de Mariani corporis splendore à n. 958. Nonne & Prophetis, & Prophetarum Prophetissa, & Christiani populi cum imperio gubernatrix? Prophetiâ, virtute, præsentia, hortatu, ac monitu suo hostes omnes, qui vel nostram singulos, vel Ecclesiam totam oppugnant, vincuntur, ac profligantur. Hæc planè, hæc figurata Debora Ignatium nostrum, filium sibi charissimum divinitus delegit, vocavit, novoque Evangelicæ expeditionis bello præfecit, tanquam Baracum alterum, verè fulgur, splendorem, coruscationem, à femina fulgorum, corusca, & fulgente abundè acceptum. Ille verò ex Virginis præscripto, sapientiâ, & auctoritate novam excitavit militiam, novum Ordinem, novâ Jesu Societatem; id enim est, nova bella elegit Dominus: ex Hebræo Cajetanus: novus elegit Dominus: novum Ducem, novos milites, novum præliandi, vincendique modum, & quidem novis armis. Milites illius notæ sunt, quam Debora commendat c. 5. 9. Cor meum diligit Principes Israel, qui propria voluntate obtulistis vos discrimini. Milites non tracti necessitate, non vi adacti, sed voluntate ducti, qui obsequantur facilius & felicius vel in rebus arduis, & vitæ discrimenibus. Milites sapientes, Doctores, Scribæ. Unde ex Hebræo veritas cum Ruperto lib. 1. de Trin. c. 5. Cor meum diligit Doctores Israel. Cum Chaldæo autem: Cor meum ad Scribas Israel. Et porro ille Debora, & Barachi exercitus tribus constabat legionibus collectis ex Sapientibus, & Scribis, & patet ex v. 14. & 15. & dictis supra n. 1742. Quibus quodammodo propheticè designantur tot Jesuitarum cohortes à Deipara & Ignatio collectæ, formatæque ex Doctoribus & Scribis sapientissimis, qui pugnant, non plumatis sagittis, non vibratis hastis, non strictis gladiis, sed Evangelicâ doctrinâ, scriptoriis calamis, & stilo librorum innumèrabilium. Sic præmuniti hostes detriumphant numerosissimos, potentissimos, ferocissimos, Jabin Regem in Afor, Sisaram Ducem, & horum copias militares, carnalem nempe sapientiam, inobedientiam, infidelitatem, libidinem in hæreticis, in infidelibus, in flagitiosis quibuscumque.

1929 In Jabele autem Haber Canai uxore, à qua tandem Sisara interfectus, nostrum Jesu Sodalitium bellissime præfiguratur: cum Haber interpretetur Societas, congregatio, conventus, cui Jabel, id est, vita mixta ex meditatione, & actione connubatur, & quæ tot ubique floreat scholis & Academiis, sitque divinarum rerum perita, librorum peramans, & studiosa admodum. Sic Barac, id est, Ignatius, Debora comite, id est, Deiparâ Virgine; & Jabele, id est, nostrâ Societate, adjutrice, Ecclesiæ hostes devincit, profligat, detriumphant gloriosissime. Sed enim verò, uni Debora, uni Matri Virgini deferendi potissimum revecti omnes

Debora 19. Pius Deipa. 72, cui militiam 10. suita.

Judic. 5. 8.

Ruper.

Societas Jesu præfigurata suos triumphos Virgini adscribens.

Judi. 4. 8.

omnes triumphus: figurati enim Baraci, Ignatii nempe, verba illa sunt ad Deborah: Si venis mecum, vadam; si nolueris venire, non vadam. Sic se expeditioni Evangelicæ imparem futurum ostendit, si solus iret, si absque comite & adjutrice Deipara. Cujus ea est responsio: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Ex Græco transferas cum LXX. & aliis: Non erit præstantia, primas, seu primatus tuus super viam, quam tu ambulas. Quasi dicat Virgo: Uni mihi tecum eunti victoria præsertim tribuenda, & primas hujus negotii adscribendus: pro laude ac fama primas ego feram, tu secundas tantum feres; quia non tuis viribus, sed meis pugnabis, & perdes hostem, revecto triumpho. Ita omnino evenit, & ita Ignatius voluit ejusque Sodalitium; nam, comite & adjutrice Deipara, feliciter pugnarunt & expugnarunt Idololatricam, Judaicam perfidiam, omnem Hæresim ac vitium, uni Virgini præstantiam, primas & gloriam obsequiosè adscribentes, quòquoque deferentes, & spantes. Quid mirum? Si illa est, per quam univèrsa creatura Idolorum vesaniâ detenta ad veritatis cognitionem perducta est; per quam sanctum Baptisma obtingit creditibus, per quam toto terrarum orbe fundata sunt Ecclesiæ: uti rectè agebat S. Cyrillus Episc. Alexand. to. 6. Concilii Ephes. cap. 6.

S. Cyrill.

§. XVIII.

Maria, quæ immunis à primævi delicti reatu, gloriòse admodum in Jesu Sodalitio exaltatur ut Platanus.

Ex fine Societas Jesu fundata, ut Marianam propugnaret immunissimam.

1930 Huc illud in primis spectat, quod venerabilis Alphòsus Rodericus, coadjutor ex nostra Societate, apud Balears primariâ sanctitate, & miraculis multis, magnificè præclarus, cælitus sibi revelatū asseruit: nempe hoc Jesu Sodalitium eo maxime divino consilio fuisse conditum, ut præter alia instituti nostri munia, immunem propugnasset Deiparæ Conceptionem. Michaële Juliano teste integerrimo in Epistola ad socios de vita Alphonsi; cui suffragantur Franciscus Torrèntis Franciscanus lib. 5. de Concept. c. 13. & Eusebius Nierenberg. in vita ejusdem. Inde Alphonso tanta in Marianâ Conceptione pietas, tantusque tanti mysterii propagandi ardor, ut quæ erat ab ipsa Virgine, cælesti lumine, & frequenti visitatione perfusus, Officiū condiderit impensè pium Virgineæ immunissimæ, quod ipse frequenter recitabat, & recitandū ab omnibus Deiparæ studiosis summoperè curabat, ut nunc à multis recitatur, typis mandatum.

Dee civi Societas Juramento obstricti propugnandi puram Virg. Conc.

1931 Hoc eodem consilio factum dixerim, ut tam Conditor ipse S. P. Ignatius, quam novem ejus primarij socii in eo Christiani Orbis celeberrimo litterarum Emporio, ac literatissima Parisiensi Academia, Theologiæ operam dedissent, literariisque gradibus initiarentur, quæ præ cæteris & sapientiæ gloriâ, & immunissimæ Marianæ tuendæ studio maxime floreret: ibi enim quicumque ad gradum promoverent, juramento se obstringunt propugnandi puram Virginis Conceptionem ab originali culpa immunem, ut verè se illi obstringere, non aliam edoceri Theologiam ubique terrarum, neque ipsi, neque ab illis emersura univèrsa Societas.

P. Ildeph. de Flores in Ecclesi.

Inde P. Jacobus Lainius summæ doctrinæ & eruditionis vir, à Sede Apostolica pro Pontificio Theologo ad Tridentinum Concilium emissus, immaculatæ Conceptionis propugnandæ partes strenuè sustinuit. Cum enim sacra Synodus decretum illud de peccato originali condidisset, quod Sess. 5. extat, perculit ea cura Lainium, ne fortè ex eo Decreto immunitati Deiparæ præjudicatum cuiquam videretur, quam Ecclesia ipsa in solemnibus Marianæ Conceptionis feriis excoleret. Redit igitur ad Concilium, ut de cautione aliqua in honorem Virginis provideret. Exceptit S. Synodus cum ingenti plausu doctam Laini pietatem, ipsique Theologo ea de re disputationem ex suggesto in tertium diem versandam injunxit. Dum verò diem præstolatur, rescierunt Patres, in eum quartanam Lainio obvenire febrem, qua vehementer id temporis conflictabatur. Dilatam igitur voluit Concilium controversiam in diem feriam. Renuit propugnator, fidendum asserens Marianæ causæ, quam esset peracturus. Annuìt de cælo defensori Deiparæ; itaque disputationem reverita abcessit procul quartana. Annuìt & divinus Spiritus Mariæ Sponsus, sacramque afflavit Synodum, uti prædicto Decreto temperamentum illud attaxeret, quo Virgineæ immunissimæ prospectum fuit.

P. Jacobus Lainius pro pugnat in Tridentino Conc.

Miraculum Virginis pugnare conceptæ

1932 Illud etiam apud nostrates compertissimum, eundem Lainium desperatissimis, ac deploratissimis morbis præsentaneum remedium contulisse, eosque mirabiliter omnino depulisse, uno dumtaxat Marianæ Conceptionis cultu admoto, ac persuaso. Invisibat ægrotos, quos hac religione informabat, confirmabatque; jubebat interim, jejunium ut aliquod voverent, votivam Missam promitterent, eximiumvè aliud in Conceptionem pollicerentur. Quibus quidem affectibus, & effectibus adfavebat cælestis Medicus, mirabili collatâ valetudine. Hæc ex Joanne de Pineda Serm. 1. de Concept. Joanne Lezana in Apologetico c. 15. Joanne Bonifacio in Hist. Virg. lib. 2. c. 12. & Ribadeneira lib. 3. vitæ Lainii c. 17.

Valensda confertur immunissimæ Mariana studiosis.

1933 Inde Canon ille prodiit V. nostræ Generalis Congregationis, nec non etiam 3. Regulæ pro Theologiæ Scholasticæ Professoribus, quibus immunissimæ Marianæ doctrinæ, atque defensionis, omnibusque Societatis nostræ Theologis, ac Magistris serio ex instituto injungitur: quin ullus usquam fuerit deprehensus, qui in adversa opinionis suspensionem unquam inciderit. Omnes certè uno animo, uno ore, uno calamo ubique & semper ita senserunt, ac docuerunt ita. Possent autem centum, & his plures, Scriptores Jesuitas percellere, inter plusquam mille alios, qui puræ Conceptionis Virgineæ acerrimi extant assertores & vindices: ex quibus non pauci, mira eruditione, sapientia plurima, multaque in Magnam Matrem pietate, mysteriū puræ conceptæ ita stabilierunt, & gloriosè extulerunt, ut ad definiendam controversiam immaculati Conceptus, nihil videatur amplius desiderari. Ego in hoc opere, ut egenus scriptor, per tenuem censum Marianæ gloriæ succurrens, non pauca & do, & urgeo, vel nova forsam, vel noviter illustrata testimonia & adjumenta pro virili, & qua possum accuratiori diligentia, quibus causæ Virginis subveniam, ut subvenire teneor ex speciali voto ad id nuncu-

Ex institutis tenetur Societas immunissimam Mariam propugnare.

Propugnans omnes uno ore, unoque calamo



pato. Dixerim jure merito ex Cant. 7. 1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Ubi Lyra: Choros castrorum, id est, Societatem ad pugnam paratorum.

1934 Inter reliquos Marianae immunitatis Panegyristas, quos nostra haecenas Societas tulit extremis hisce centum & decem annis, quibus ipsa floruit, & quos recensent P. Jacobus Granado de immac. Virg. Conc. disput. 3. c. 15. n. 5. & P. Ferdinandus de Salazar in Defensione pro immac. Deipare Concept. c. 42. Saeculo 16. fol. 442. Et inter alios multos, quos ipsi nancisci non potuerunt, ac typis postmodum lucubrationes suas mandaverunt, numerandus summo jure est Venerabilis P. Josephus Anchieta, vir è nostris sanctitate clarissimus, Patre Cantabro, Matre Canariensi: in ea Fortunatarum Insula an. 1533. natus est, cui nomen Zanarfae. Potens hic in opere, & sermone tanta miraculorum tum magnitudine, tum frequentia Brasiliam illustravit, ut meritò Thaumaturgi cognomen repetat. Vitam Sebastianus Beretarius è nostra Societate, eleganti stylo scriptam edidit. In cujus 2. libro scribit, Josephum tam ardenti Deiparae colendae flagrasse studio, ut de Mariana vita Poëtico pangenda stylo, cui juvenis non sine laude indulisset, votum etiam emisserit, dum apud barbaros Brasilienses Tamuyas pacis obses trimestris demoraretur. Itaque cum nec liber, nec charta, nec stylus quidem in tanta barbariae vastitate suppetere, ingenio tamen, ac memoria, imò causâ fretus pium aggreditur Poëma, quod à purissima Virginis Conceptione exorsus, universaque inde Marianae vitae serie, symbolis, vaticiniis, SS. Patrum testimoniis perterendo, ad carmina omnino quatuor mille centum septuaginta duo felicissimè protendit. Neque sine eximia caelestis Reginae laude, quam Josephus ipse sibi promittentem audisset, haud permisuram se, ut quam illi barbari intentassent necem, patrarent, antequàm ejus Panegyridem perfecisset. Hujus scilicet exordio, ut prae-monui, immuns extat celebrata Conceptio à viro tanto, tanta illustrato divinâ luce, & miraculorum gratiâ.

1935 Nec verbis tantummodò conceptae Virginis puritatem commendasse contentus vir sanctissimus, factis porrò Virgineae Conceptionis virtutem ad miracula usque validissimam testari voluit, uti Beretarius lib. 3. commemorat hisce verbis: Joanni Baptistae Mallio, qui in Oppido Sanctis moratur, infans erat mensis natus undecim. Hic gravi, ignotoque morbo ita languebat, ut biduum totum ne lac quidem fuxerit. Opem petiit à Josephi precibus parens. Is vetat hominem esse sollicitum; puerum beatæ Virginis à Conceptione, cujus templum Itanniae colebatur, jubet commendari, ab ipsa haud dubiè salutem filium consequuturum. Quod ille cum fecisset, illo ipso die infans mammis os admovit, brevique postea convaleuit. Quod ipse à purissima semper Dei Matre, Josephi precibus, impetratum infantis pater agnovit. Et Josephus haud dubiam pueri sanitatem à concepta purè Virgine obtinendam vaticinatus est: & vaticinium Deiparae in suae purissimae Conceptionis honorem miraculo complevit.

1936 Non hinc abeam, quin in medium proferam quæ P. Virgilius Ceparri scribit de

P. Josephus Anchieta Mariana Conceptionis studio- sissimus.

Ille immunitatem Deiparae miraculo comprobavit.

Fratre Joanne Berchmans Belga, ex Scholasticis nostris uno, piæ admodum ac felicitis memoriae, ob Angelicam ejus vitam ad viginti duos annos dumtaxat protractam, & heroicarum virtutum curam perpetuam. In ejus vita sic scripsit, parte 4. in egregio testimonio P. Cornelii à Lapide suis in universam penè Scripturam commentariis decantatissimi. Eximius fuit cultor B. Virginis, cuius se filium vocabat. In morte, licet canendi imperitus, bellè cecinit: *Monstra te esse Matrem*, &c. Uni ex nostris Concionatori petenti monitum salutis, hoc me audiente, dedit: *Reverentia vestra semper tueatur immaculatam Conceptionem B. Virginis, usque ad mortem*. Inventa est schedula, in qua illam se semper defensurum jurejurando confirmat. Ad finem libri extat modus recitandae Salutationis Anglicae ex secundo modo orandi S. P. N. Ignatii in septima parte. *Recita (inquit) ter ave. Primum ad honorem instantis, quo sine peccato est concepta. Secundum ad honorem instantis, in quo facta est Mater Dei. Tertium ad honorem illius instantis, in quo unita fuit Filio post mortem*. Tales igitur tulit, & in dies fert nostra Societas, vel à suis primordiis, Marianæ immunitatem assertores, scriptores, propugnatores, propagatores.

1937 Ex his patet, quo jure de se, sic gloriosè exaltata Deipara in nostro Sodalitio, deprædicet: *Quasi Platanus exaltata sum juxta aquas in plateis*. Tigurina legit: *Ab aquis excrevi*. Syrus, *Nutrita sum ab aquis*. Druisius, *Ab aqua erecta sum, seu dilatata sum*. Dixi supra, per Plateas, quæ in promptu sunt, & in quibus multus fit hominum concursus, Religionem nostram typicè designari omnibus perviam: per aquas verò profuentes, limpidissimam, & ad universos derivatam sanctitatem ejus, atque doctrinam. Ab his ergo Marianam gloriam exaltari, ex-crescere, nutrirî, evehi, dilatari, liquidò constat ex hæcenas præmissis. Sed enimverò, dum se Virgo *platanus* assimilat sic eve-ctæ, sic ab aquis enutritæ, & suam ipsam immunitatem, & ejusmodi immunitatis assertores, propugnatoresque Jesuitas, commendare, reor. Dicta recole superius à n. 1630. de *platanis* dotibus. Atque in primis ob-serve, commendari hanc arborem ab altitudine, & latitudine mira; nam mirum in modum in altum, latumque sese effundit supra reliquas arbores. Proinde ejus radices sic latè spantantur, ut trium & triginta cubitorum sint vel illæ, quas novella adhuc Platanus agit. Recto id naturæ ordine: nam tam alta, tam lata, tam speciosa arbor tam altis, tam lais, tam firmis indigebat radicibus, à quibus tota ejus vita, ac feracitas penderet. Atqui *Dei arborem* Mariam esse, S. Ephrem dixit in Tractat. de Margarita pretiosa. Arbor est, qua celsior nulla, nulla latius diffunditur. Platanus ad instar est, Dei manu factæ, de qua jure potiori, ac verè prædices, quod de Ca-sariana, Poëta:

*Auctorem, Dominumque suum sentire videtur, Sic vires, & ramis sidera celsa petit.*

Tanta ergo hujus arboris proceritas, tantaque latitudo, & jure suo, & recto gratiæ ordine, sibi vendicant tam altas, tam lataeque radices, ut altiores, latiores, ac firmiores nullæ sint aliæ. Radices enim Marianæ vitæ, Mariae

F. Joannes Berchmans similiter.

Quasi platanus exaltata Maria immunitas in Societate.

Platani doctes Marianæ immunitatis deseruiunt.

Martia. lib. 9. Epig. 49.

Mariæ ipsa Conceptio est; quæ si sanctitate radicata non fuisset, ad tantam non asurgeret arbor celsitudinem gratiæ, & dignitatis. Rectè itaque S. Antonius de Padua ierm. in Dominica 3. Quadrage. *Maria præ cæteris citius & altius in Dei amore fuit radicata*. Et luculentius S. Epiphanius ierm. de laud. Virg. postquam Deiparam appellavit; *Semper & omnino sanctam, & superiorem Angelis genitam*; infert satis consequenter, *Mariæ gloriam radicibus fundatam fuisse*: nempe in sanctitate perpetua & omnimoda radicatam, progenitam, conceptam. Quæ ut illustres, vide superius dicta à num. 233. & à num. 1481.

1938 His accedit quod ex Plinio observavimus num. 1632. nempe Platanum, ejusque pilulas, & folia, maxime adversari nocturnis, *vespertilionibus, scorpionibus, serpentibus*. Ut certè his naturæ arcanis portenderetur quam sit Maria adversa & terribilis Tartareis phalangibus, & ipsi in primis stygio serpenti peccati originalis auctori. *Virgo tenebrarum principibus terribilis fuit* (ajebat Richardus Victorinus cap. 26. in Cantica) *ut ad eam accedere non praesumpserint*. Qua de re fusè non semel diximus. Sed illud hic signatim expendas, quod Pierius scribit lib. 1. cap. 91. *Platani folia arcent vespertiones, & nocturnas*. Et quidem, cum tota habeat tam eximie amplitudinis, ut singula tres pedes lata, ac duodecim longa in continenti Insulae Hispaniolæ, & in Provincia Malabar in Coel urbe, visa narrentur à probatis scriptoribus, ut refert Majolus Colloquio 21. fol. 652. cumque illa sint ad instar scutorum, seu pel-tarum, ut statuimus num. 1630. videtur Platanus tot scutis, tot peltis adversus vespertiliones, & nocturnas præmunita, quot foliis exornatur; arque illud designari, quod non semel expendimus pro Mariana immunitate, juxta variam lectionem: *Astitit Regina, à primo vitæ momento, à primo creatio-nis articulo, à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata scutulis*. Et illud item Cantic. 4. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ edificata est cum propugnaculis; mille clypei pendunt ex ea*. Quod Bernardus ferm. 4. super *Salve Regina*, de Mariæ immunitate perspicuè accipit, concluditque: *Nihil omnino profecit inimicus in te, eo quòd mille clypei pependerunt*. Sic Deipara divinitus communita tot scutis contra stygias vespertilionum, & nocturnarum acies, incolumis semper stetit, victrix evasit.

1939 Ergo, etsi aliunde habeat Dei Mater & Virgo, quòd procerâ Platanus sit radicitus fundata in sanctitate, tantopere principibus tenebrarum inimica, undequaque & semper tot divinæ protectionis clypeis præmunita, nihilominus tamen se gloriosè exaltari autumat in nostro JESTU Sodalitio *juxta aquas*, à quibus excrevit, nutritur, evehitur, dilatatur, uti Platanus. Quid hoc, quæso, aliud est, nisi ostendere, quantum operæ viri Jesuitæ impenderint, impendantque purissimæ ejus Conceptioni asserendæ, tutandæ, spantiandæ; quantumque amet hoc Marianæ immunitatis mysterium copiosissimas, limpidissimas, & profuentes Jesuiticæ doctrinæ aquas, ut firmius apud mortales perferret, ut validius stabilietur, ut latius spatietur? Per Arcam à Noëtho ex Dei præscripto extructam, præ-

S. Ant. de Pad.

S. Epiphani.

Richard. Victori.

Pieri.

Pf. 44.

Cant. 4. 4.

In Societate aquis do. Erine eve. Et Maria immunitas.

maturè figurari Deiparam, non absque suæ immunitatis nota præiustri, mulcorum est existimatio, quam S. Bernardus firmat ser. 2. de Nativ. *Arca Noe significat arcam gratiæ, excellentiam scilicet Mariæ*. &c. Et S. Chryso-stomus Hom. 2. de laud. Virg. *Mariæ: Illa erat animalium Arca; hæc autem Arca vita incorruptibilis, &c.* Illud hic unum de Arca præfigurante observo ex Genes. 7. *Multiplicata sunt aquæ, & elevarunt arcam in sublime à terra*. Et paulò post: *Porro arca ferebatur super aquas. LXX. vertunt, exaltata est*. Pro *elevarunt*, Hebraicè est *nasa*, quod latissimè patet, si quod aliud Hebraicum; & significat non solum portare, *elevare, atollere, exaltare*, sed etiam *parcere, & vaticinari*, ut latè probat Pagninus. Unde efferri potest: *Extulerunt, exaltaverunt Arcam*: ei pepererunt; atque eam sic efferendo, sive extollendo, eique parcendo, ne demergeretur, *vaticinatae sunt*. Quasi illa arca ab aquis elevatio, & exaltatio vaticinium quoddam fuerit Marianæ immunitatis, & futuræ exaltationis, quam adeptura Virgo erat per simile aliud sapientiae diluvium. Ut enim Siracides ajebat c. 21. 16. *Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit*. Græcè, *quasi diluvium*, sive *cataclysmus*. Ita meritò appelles multam & variam Jesuitarum sapientiam, sive verbis, sive scriptis profusam, & illam præsertim quæ ad Deiparae gloriosam exaltationem spectat, vel à puncto immaculatæ Conceptionis.

1940 Quò spectasse Psalmodum reor: *Elevarunt flumina, Domine, elevarunt flumina vocem suam. Elevarunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. De plurima, mirissimæque Apostolorum, viro-rumque Apostolicorum sapientia, sapientissimæque prædicatione sermonem esse, sub multarum aquarum nomine; magni sonitus, & strepitus metaphorâ, multi arbitran. ur. Apostoli enim, virique Apostolici, in quibus sese Deus mirabilem exhibet, divinâ pleni sapientia, ac Dei testimoniis valdè credibilibus abundè instructi, voces prædicationis suas levarunt, tanquam fluctus, & voces aquarum multarum. Vel juxta Chaldaei translationem clarior: *Levarunt flumina laudem coram Deo: levarunt flumina vocem suam in Cantico: recipient flumina premium laudum suarum*. Sed quorsum, dicas, voces hujusmodi sapientiæ plenissimæ, & quaquaversus resonantes? Continenter ostendit Vates ipse: *Domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum*. Pagninus, & Arias legunt: *Domui tuæ decora est sanctitas*. Pro *sanctitas* est Hebraicè *Kodes*, id est, *munditia, puritas*, ut constat ex LXX. ad Isaïæ c. 65. 5. Num. 5. 17. Immunitatem Deiparae hic agnoscas, originariam ejus munditiam, puritatem, sanctitatem, ut infra probò ex Psalmi titulo, & argumento, Sect. 5. §. 3. ad v. 24. Ut enim signanter S. Maximus Taurinensis ferm. de Laud. B. Mariae, *Hæc, quæ fuit caeleste templum, condecen-ter & congruè nullâ maculâ originali contami-nata est*. Ecce quæ illæ voces aquarum multarum, & ea Prædicatorum sapientia, tamquam inundatio, potissimum spectent. Nempe ut Mariam immunem prædicent ab originali delicto, domum Dei, ac caeleste templum, cui omnis militat sanctitas, munditia, puritas;*

S. Bernardus. Maria in-bar. Arca Noë ab aquis eve-ctæ. S. Chryl. Gen. 7. 17.

Eccl. 21. 16. Sapientiam Jesuitarum tanquam diluvium.